

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

Cap. XXVII. De Liberalitate Quid sit, & qualiter exercenda. Quomodò  
differat à magnificentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

CAP. XXVII. *De Liberalitate. Quid sit & qualiter  
exercenda. Quomodo differat à Magnificentia.*

1. **N**on voco liberalem pecuniae suae iratum, qui nec dare scit, nec servare: qui non donat, sed proponit. Liberalis est, qui recte dat & rationabiliter & promodo facultatum quantum decet impedit, quando & quibus oportet, non suum sed alienum spectans emolumen-tum. Porro liberalitas virtus est beneficiorum erogatrix quae circa pecuniarum largitionem & acceptionem versatur; sed largitio principaliter intenditur, quia prestantius est dare, quam accipere. Sufficit autem voluntas, cum tribuendi facultas deest: immo haec maxime attenditur ut non solum pro sis, sed velis prodeesse. Nemo huminibus aut mari gratias agit, quod navigia patiantur: neque arboribus, quod fructus ferant: nec vento, quod secundus aspiret: nam licet haec omnia beneficia sint, illis tamen deest beneficiandi voluntas. Quod vero alicui donandum est, pretium a celeritate sortitur. Sunt nonnulli, qui dum aliquid donant, gratiam omnem corruptunt, avertendo vultum, obducendo frontem & in alterum diem differendo. Sic amicum dilatione lassant, torquent expectatione; cumque proprium sit libenter donantis citato dare, qui dilu noluit, non ex animo largitus est. Properat omnis benignitas & jucundum est munus quod obviam venit.

2. Non potest quisquam beatè degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitatem suam convertit: alteri vivas oportet, si tibi vivere optas. Quid tanquam tuo parcis? Procurator es. Omnia ista quae ferreis claustris custodis, quae ex alieno sanguine rapta tuo defendis, tua non sunt, Deposita apud te fuerunt & jam ad alium dominum spectant. Aut hostis illa, aut hostilis animi successor invadet. Quæris quomodo facias tua? Donando. Quid est hoc, quo te divitem putas? Domuncula, pecunia, agellus: si donaveris proximo, beneficium erit, virtus

erit, quæ tecum in æternum manebit. Tunc pretiosa est pecunia, cum usu largiendi desinit possideri.

3. Quia tenui impensa fieri magna non possunt, ut mediocres sumptus liberalitas regit, ita splendidos & magnificentia. Hæ duæ virtutes cætera similes hoc discrepant, quod illa etiam in parvis, hæc non nisi in magnis & luculentis apparet. Cui res angusta domi est, liberalis esse potest: laudem vero magnificentiæ ille solus assequitur, cuius opulentia spectabilis est. Hæc propriè in operis admirabilitate conspicitur. Si quis enim magni pretii gemmam in usum rei divinæ largiatur, eximiè potius liberalis quam magnificus dicendus erit; sed si pretio gemmæ sacrarium, templum, aut aliud splendidum ac mirabile opus extruxerit, magnificus nuncupabitur. Operum verò nomine in quæ magni sumptus conferri possunt, ea intelliguntur, quæ pertinent ad cultum Dei, ad populi utilitatem, ad publicam hilaritatem & ad quædam hominis officia splendide præstanta. In his decori ratio habenda est, respectu operantis & facultatum. Non est magnificus, qui plura quam habeat profundit: iqui ære alieno se & suos gravat, ut magnificentiæ laudem consequatur. Verè liberalis & magnificus ille est, qui quod donat & expendit, detrahit sibi.

CAP. XXVIII. *De Fortitudine. Quæ sint ejus Officia.*  
*Mortem à viro forti contempnendam esse.*

1. **M**olles sunt hominum animi debilisque natura, quam idcirco fortitudine armare oportet, ne periculis deterriti ab honestate recedamus. Duplex ejus officium est: unum, idque præcipuum, labores atque pericula sustinere: alterum eadem aggredi cum oportet. Vir fortis non se temere malis ingerit, sed advenientia constanter fert: non appetit formidabilia, sed spernit: ibi extollitur, ubi cæteri deprimuntur: ibi stat, ubi alii jacent: non illum subigit dedecus, non repulsa, non exilium, non injuria: non eum carcer, non tormenta, non

A a iiij